



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CIX. Aman in Patibulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

sub Regibus *Cyro*, *Cambyse*, gemino *Dario* & *Artaxerxe* Longimano, Iudæorum fortuna fuit; cujus incrementis quam coronidem addiderit Regina *Esther*, Assueri conjunx, sequenti narratione exponemus.

NARRATIO CIX.

AMANIN PATIBULO.

Ex Libris *Esther*.

Ab Anno Mundi 3596. ante Christum 457. ad ann. Mundi 3602. ante Christum 451.

XERXES Darij Hyftaspidis filius, paterni regni atque odij in Græcos homines hæres, junctò navibus Hellefpono, Athòque monte perfossò, epotis omnibus Græciam cum armatorum mille millibus invaserat: quò deinde per *Artabanum*, satellitum regionum præfectum obtruncatò, successit *Artaxerxes*, appellatus *Longimanus* à prominentia dextræ: vel, ut alij volunt, à manuum longitudine tanta, ut stans & erectus, genua, digitorum articulis contingeret, filius Xerxis illius magni, natu minor. Hic Artaxerxes, alio nomine *Assuerus* clarus extitit *Estheris*, conjugio. Hanc formæ decus, ex nobili Iudæorum familia, captivam tamen, in repudiata *Vasthis*, uxoris *Assueri*, locum subvexit. Laude digna forma, quæ regnum peperit; sed multò dignior animi venustas, quæ DEO quoque in delicijs habita, Iudæis, popularibus suis salutem attulit. Res ita contigit.

Assuerus ingenti cum exercitu in Ægyptios moturus, convivium longè sumptuosissimum, universis regni sui satrapis, seu provinciarum præfectis, apparavit, idque senis omnino mensibus celebravit regali magnificentia. Septiduo ultimò etiam populus urbis Susianæ advocatus, & per tentoria pretiosissima dispositus, epulis, incredibili luxu instructis accubuit. Haud minore apparatu, & planè Persico, feminae cum regina *Vasthe* intra palatium epulabantur; nam ut viris in convivio assiderent, pudor & modestia prohibebat. Quæ res cum ad ejus sexus commendationem valere plurimum deberet, reginae cessit in perniciem. Postremò namque epulationis die, rex largiùs appotus, inter mensarum delicias, oculis quoque pastum illecebrosum objecturus, evnuchis mandavit, Reginam ut introducerent diademate, ceteròque mundo muliebri adornatam. Semel, iterumque vocata, renuit venire, sive ut legi & consuetudini Persarum pareret, quæ uxores vetabat, ab alijs, quàm à domesticis conspici; sive, (quod S. historia innuit) dedignaretur promiscuæ multitudinis oculis pulchritudinem suam propinare. Eum qualemcunque animi sensum, Rex injuriam & contemptum interpretatus, tantò vehementiùs exarsit, quantò magis à vino calebat. Itaque crimini datur, quod imputandum erat virtuti. Res tanquam summi momenti, ad arcanus mox consilium (septem viri præerant ei) refertur, paràm e quidem sobrium; cum rege plus omnes adbiberrant, quàm Judices deceret. Sed more Persarum, quibus jus maximè liquidum natabat in poculis; judicialium urnarum loco cululli statuebantur, unde

hauriebant suffragia. / Quid multis? regina contumaciae postulatur, contemptae majestatis rea peragitur. Plus valuit accusatoris auctoritas, quam accusatae innocentia. In gratiam regis condemnatur regia conjunx: pronuntiatur, tori, regni que consortio privanda; ne caeterae feminae malo exemplo inductae, suae plus tribuant superbiae, quam debitae maritis reverentiae. Nihil esse impotentius eo sexu, quam cum amores suos maritorum obsequijs venditant; pretium sui excandefaciunt torvitate; imperant abnuendo. Nec esse quidquam pervicacius muliebri genio, cum ei venustas formae accesserit, quem jam domi suae jussa daturum uxori, si regis ipsius imperium spernat mulier? unius pertinacia reliquas omnes animatas, maritalem potestatem ludibrio habituras. Id ne fiat, poenis cavendum; detracta reginae coronam, inferiorum quoque supercilia dejectum iri. In eam sententiam fit senatus consultum; repudiatur *Vasthis*, proscribitur e regia, quod modestior esset, quam obsequentior. Ejus judicij poenituit, puduitque regem, cum discussa ebrietate, in mentem redijt eximia feminae pulchritudo, dulcissimaque vitae consuetudo. Perpendebat, quanto atrocior esset poena, quam pro modo delicti; fuisse ignoscendum pervicaciae, magis ex pudore, quam superbia profecta. Subeunte dein animum miseratione, cupiebat revocatam, quam nulla gravius culpa fecisset ream. sed huic cogitationi obstitabat decretum, quod juxta leges patrias mutari haud sane poterat. rex igitur in morem navis, contrarijs agitatae ventis, aestuabat. Sed fluctus ijdem composuerunt, consiliarij, qui commoverant; adeo

parata est aulicis ingenijs assentatio. Fiunt auctores regi, ut per omnes regni provincias instituantur virginum formâ præstantium perquisitio; è quibus undequaque adductis, rex sibi deligat, quas omnium maximè oris habitus commendaverit. & ex his ipsis unam, quam loco Vasthis repudiata, in thalamo, regni que consortem admittat; prioris desiderium haud ægrè recentis consuetudine abolitum iri. Placuit consilium. Inter alias conquistatoribus probatas, eminebat *Esther*, puella Hebræa, utroque parente orbata; quæ apud patrum (aliqui patrualem vocant) *Mardocheum*, virum Nobilem è tribu Beniamitica ceu filia adoptiva educabatur *Sasis* (uti *Salianus* & *Serrarius* referunt) in urbe regia, (*Josephus* eam Babylone adductam scribit, parùm convenienter historico sacro). Hæc eunucho, *Egeô* nomine, commendata, inter puellas quadringentas, quæ in regia, exquisitissimo victu, cultûque ad regios thalamos præparabantur, facillè omnium in se oculos convertit; præsertim *Assueri*, qui formæ cum raritate, tum verecundiâ captus, eam in uxorem adlegit, connubiûmque magnificentissimo epulo initiavit.

Eo tempore inter excubitores prætorianos fores regij palatij *Mardocheus* servabat, insigni in Deum pietate, & in regem fide. Hic ex somnio sibi oblato, haud vanè conjectans tempestatem, genti Hebrææ graviter incubituram, unicè erat ad id intentus, ut & neptis castè pudicèque educaretur, & si qua se offerret occasio gratia Regis publico populariû bono iniretur. In ceteris ergò monitis, hoc *Estheri* dabat, ut *DEI*, populique sui memor, favores regios non ad ambitionem privatam, sed ad communem nominis Hebræi

salu-

salutem referret; quam ipsa monitionem quam ha-
buerit cordi, docent ea, quæ sequuntur.

Verfabatur in aula regis Assueri *Amanus*, purpura-
torum longè primus, & uni regi secundus; vir om-
nium superbissimus mortalium, idèmq; si quis
ejus arrogantia adversari videretur, vindictæ pro-
positò crudelissimus, & curiæ Persicæ planè tyran-
nus quidam, gente *Macedo*, natalibus Agagites &
origine longius repetitâ, stirpis Amaleciticæ, sem-
per Hebræis infestæ, quia tamen maternum genus à
Persis trahebat; Persarum & ipse paulatim in consue-
tudinem, ac familiaritatem; ad extremum, in regiam
quoque sanctiusque consilium irrepfit. Hic apud
Assuerum omnia poterat, etiam patris nomine ab eo
compellatus; inde tam vecors hominem libido cepit,
ut à quocunq; mortaliù nō adoraretur ipse de geni-
bus, & scilicet honoris illo genere, quod cum *latria*
(cultu qui soli DEO debetur) proximè añexum est,
coleretur: eum, non suum tantum, sed regis etiam
& centum viginti septem provinciarum Persicæ di-
tionis hostem credi vellet, ac perduellem: propte-
reâque diris supplicijs omnibus persequendum, & ex-
emplis novissimis eradicandum. Id tentavit in
Mardocheo, viro, quod diximus, non minùs forti,
quàm pio, & pro religione patria tuenda, imperter-
rito. Hunc Amanus, quòd honorem, cultumque,
quò modò cultus & honor DEO deferuntur, præ-
stare sibi recusaret: exstirpare ferro, cum universa
stirpe Judaica, per omnes Persici juris terras, ani-
mo decretum, fixumque habebat. Et destinata, con-
sentiente rege, perfecturus fuerat: nisi mulieris
animum, hoc est Estheris reginæ lacrimæ intercessis-

sent. his enim emollitus Artaxerxes, cruentum Amani edictum antiquavit. furor in caput auctoris vertit.

Jamque non *Sufis* tantum pendebat Sanguinarium edictum, toti Judæorum genti fatale; sed per omnem Persiam, cum litteris regijs festinabant Cursores, qui decretoriam Hebræi nominis interfectionem magistratibus ubivis locorum denuntiarent. Nam sæpe bonitas Principis servit in scelera ministrorum. In luctuosissima rerum omnium desperatione, unicuique miseris in Esther præsidium, quæ postulat duanas preces, & corporis afflictationes cum suis, tum populi sui; assumpto ad incredibilem oris venustatem, splendidissimo vestium ornatu, sustinuit ad regem ingredi. Quem cum admissa ad oculum *virga aurea*, in benevolentia signum protensa, (sine quo capitale erat ad solium sedentis accedere; & primus regis aspectus, Estherem quoque, tantum non exanimavit) ad omnia vota promptissimum adverteret, blandâ sermonis suadâ eò deduxit comitatis, ut invitatus ad epulum, ab ea apparandum, condiceret, convivam habiturus Amanum.

Ex ea invitatione quantum lætitiæ iste hausit; tantum indignationis concepit à conspectu Mardochei, ad regis fores excubantis. Is enim cum intranti palatium Amanum se in genua non demisisset, felle miscuit, quicquid ille dulcedinis ex convivio Estheris prægustavit. Nimirum honoris iniqua cupiditas, ipsa tormentum est. Vitam Amanus in summa felicitate acerbam sibi putabat, nisi crucem oculorum suorum Mardocheum sustulisset. Convocantur in senatum uxor Zare, & amici; deliberatur, quo

quo mortis genere Judæi hominis contumacia ple-
tenda. Omnium est sententia . ut patibulum eri-
gatur ad gulam perduellis frangendam ; tantò ad
terrorem atrocius , quantò ad ignominiam conspe-
ctius. Nec mora ; crux in sublime surgit , quinqu-
aginta cubitorum altitudine , quod non temerè sacer
historicus memorat. Sed hæc machina in aliud
longè collum erat fabricata.

Eadem fortè nocte , quæ inter suspendium inter-
cedebat , rex insomnis , suorum sibi gestorum histo-
riam jubet prælegi ; discit ex ea , capiti suo per evnu-
chos (alter *Bagathanes* alter *Thares* appellabatur , qui
cum à poculis essent regi , creduntur veneno mor-
tem ei voluisse consciscere) insidias esse structas ,
indice Mardochæo detectas , nullâ relatâ , in bene me-
rentè vel gratiâ vel præmio. Comodùm aderat circa
id tēporis , nempe diluculū , solitò maturior , in regia
Amâus , Regécuræ excitaverant , hominis sibi fidi be-
neficijs ornandi ; istū odia non sinebāt quiescere capi-
tis sibi invisi è medio submovendi ; Rex cogitabat de
Mardochæo ad honores sublevando ; Amanus la-
borabat de eo in crucem tollendo ; sed eventu ni-
mium quantum à cogitatis abludente.

Interrogabat Assuerus hominem , majora fasti-
giò humanò spirantem , quò mactandus esset honoris
genere , quem rex percuperet insignissimè condeco-
ratum. Eam ipse rogationem cum non dubitaret
ad suæ dignitatis incrementa pertinere (semper e-
nim ad sublimiora tendit ambitio ; in modum fumi
ascendit , ut evanescat) consilium suggerit , tam suo
plenum dedecore , quàm Mardochæi gloriâ. Rex,
ait , si vis hominem præclarè de te , tuoque regno
meri-

meritum, favoribus beare raris, tuâque magnificentiâ dignis, fac, ut regio vestitus ornatu, vehatur equo, qui te infessorem deceat, & circumducatur per urbem, tenente frânos Straparum principe, & præconis instar præclamante: *Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare.* Arripuit rex, quod suadebatur; jubetur Marchodæus, in morem regis indutus, & diademate ac aureo torque fulgens, equo generosissimo imponi, & Amano, quò nemo inter proceres potentior, præeunte ac præconem agente, per omnia urbis amplissimæ fora circumvehi. Hæsit inter cultrum & saxum fastus; hinc excludente tergiverfationem mandato regio: inde sublimes spiritus torquente servili obsequiò, & quidem, in inimicum capitalem conferendò. Instituitur invidiosa pompa. Fuit à pedibus Amanus Mardochoæo, quem jam cum tota gente sua proculcatum credebat. Quot oculi spectantium, tot ludibria, tot tela, quibus ambitio confixa. Neuter suam fortunam capiebat; Mardochoæus secundam, Amanus adversam; ille regali rubebat purpurâ: hic suâ; sed non alio tinctore, quam pudore, infectâ. Quantum fortunæ pristinae decreverit magnitudo, singulos ad passus numerabat. Etiam tum felix, si æstimare infelicitatem suam potuisset: si reputare animo, quàm breves & mutabiles sint rerum vices: quàm fortuna nunquam simpliciter indulgeat; & tunc maximè concutiatur, cùm ad fastigium venit. Si frenos equi, quos ante ambulo prendebat, ad feroces animi impetus edomandos transferre voluisset. Sed imbecillior erat

stomachus, quàm ut concoquere posset depressio-
nem ad ministerium tam vile.

Ultionis igitur desiderio tabescens, & velut canis
in iactum lapidem, non manum jacentis, sæviens,
proripit se domum operto capite, etiam solem eru-
bescens; & quâ spongiâ tanti nota dedecoris abster-
gi queat, ab amicis exquirat. Dum consultatur, &
consilij nihil expeditur; superveniunt evnuchi re-
gij, hominem evocantes ad epulas à regina instru-
ctas. Cunctantem, & majora mala præfagientem,
urgent etiam, & compellunt. Itaque comparet
invitus. Sub finem convivij, cùm Rex incaluisse
merò; Regina, composita ad omnem modestiam &
solicitudinem oratione, institit deprecari pro capi-
te tam suo, quàm gentis suæ universæ. Inexspe-
ctata supplicatio, decòris mixta lacrimis, miros in
Regis animo motus excitavit; tangebatur eum com-
miseratio reginæ non solùm charissimæ, sed etiam
innocentiæ: deinde populi tam numerosi [nam Heb-
ræa natio per omnes regni provincias diffusa erat]
& inferendis ærario suo tributis perutilis; igitur ex-
candescere in tantæ crudelitatis molitionem, & ejus
auctorem repossere. Ubi intellexit, concepti fa-
cinoris atrocitatem ad Amanum pertinere, tum ve-
rò surgit indignabundus de convivio, & in hortum
triclinio vicinum concedit, sive ut furoris æstum li-
beriore aura temperaret, sive ut spatium sumeret de
modo supplicij statuendi. Amanum interea instantia
fata premebant; unicum restabat asylum, & ara sa-
lutis, clementia *Esiberis*. Huic, ut erat, super lectulum
tricliniarem reclinata, se se adsternit supplex, & gra-
tiam prestat vitæ, qui tot mortalium millibus in-
tor-

torneccionem pararat. Cæterum Regem iræ vehē-
 mentia nullo patiebatur loco consistere ; redit mi-
 narum plenus in cænaculum, & [ô fatalem lubricam-
 que hominum sortem !] reperit Amanum reginæ
 lectulo affussum. mox suspicione meditati flagitij
 correptus (est enim præceps furor) imperat, ut
 nefandus scelerum artifex, obnupto capite, succi-
 danea victima, in eandem, quam Mardocheo ere-
 xerat, crucem agatur. Dictum, factum. Eadem
 nocte, Persarum more, supplicium sumptum de ijs,
 qui Amanum sanguine contingebant continuatâ
 per sequentes dies pœnâ in devota morti capita. E
 quibus decem nōminatim Amani filij delecti, triste
 spectaculum in crucibus pependerunt; fortunâs dam-
 natorum, reginæ fisco addictis. Amanus imprimis,
 luculentum ambitionis documentum extitit, quo-
 rundam ex alto descensum, etiam ascendendo fieri ;
 cūmque vulgò Casus omnis in profunda feratur ;
 profundius tamen ignominiosusque cum Amano
 sursum, & in sublime rui. Mardocheus,
 translata in ipsum strangulati dignitate, princeps
 palatij constituitur, tanta accessione gratiæ, ut abs
 regina pater, à rege conservator audiret. Po-
 terat videri contritus in capite draco, quem noctur-
 næ imagines cum Marchodæo commiserunt, nisi
 pars magna veneni in cauda vibraretur. Sanguina-
 ria in Hebræos per Amanum edicta ultimum ic-
 tum, & vix intervertendum, intentabant. Cum
 Estheris & Mardochei eâ, qua par erat, curâ, cru-
 delis sententia revocatur à rege ; & quia periculum
 in mora, volant celeriter per omnes provincias im-
 peratoriæ, litteræ, quibus non tantum truculenta
 Judæ-

judæorum interemptio antiquatur; sed ijs in super jus
gladij permittitur, omnes illos contrucidandi, quos
anguini suo inhiâsse, compertos haberent. Divi-
na historia septuaginta quinque millia à Iudæis ne-
ti data; cædîsque factæ memoriâ, festa quotannis so-
lenitate repetitam, memorat. Tantam capitû stragē
fecit exortus à genibus factus: & iniquum in alios o-
ditum meritò authores perdidit.

NARRATIO CX.

HELIODORUS AB
ANGELIS FLAGEL-
LATUS.

2. Machab. 3.

Anno Mundi 3870. ante Christum 183.

Sacrilegiorum tantò severior Vindex DEUS;
quantò plùs interest Numinis sui, res sibi sa-
cratas tueri, memorabile exemplum statuit in
Heliodoro Solymæi templi direptore; quem *Seleucus*,
Rex Asiæ *Antiochi* magni filius, cognomentò *Philopa-*
tor (seu *Amans Patris*, ex eo dictus, quòd Asiatico,
Romanòque bellò patrem assultibus hostium, unde-
quaque circumclusum eximia, filioque digna chari-
tate juvisset, ac sublevâisset) Hierosolymam misit,
sacros templi thesauros expilatum. quid enim est
sacrum, quid impervium avaritiæ? Supremum ea
tempestate Pontificatum gerebat Jerosolymis, *ONIAS*
nômi-